



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro  
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad  
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones  
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

**Dusault, Nicolas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660**

§. 2. Qui fidunt creaturis assimilantur Cereo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

quaquaversum spargit sine ullo strepitu; pari modo confidentes Deo opera sua perficiunt in silentio absque pompatico tumultu, quæ tamen se longius latiusque extendunt quam ipsa solaris astri secundæ influentiæ. Illa quippe momento unico ascendunt usque ad cælum, implent terram, pervadunt infernū, dum simul pariunt & gloriam Deo, & Angelis gaudium & bonis omnibus singularia beneficia; dæmonibus verò terrorem incutiunt & dolorem.

## §. II.

*Qui confidunt creaturis, assimilantur cereo*

Contra verò illos, quorum spes omnis incernitur creaturis, scite S. Bernardus comparat lucenti cereo, qui lucem suam habet à cerato elychnio accenso. Hæc figura ad vitam exprimit imbecillitatem bonorum quibus homines mundani tantopere adhærent, & à quibus omnis eorum, qua se jactant, magnificentia splendor dependet. Nam cum accenditur cereus, non purum lumen est sed lucerna, si quidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consummatione fovetur. Præterea est ipsum lumen tam remissum ut vix ad tres passus propagetur; tam obscurum, ut non nisi oculis infirmis sit gra-



tum: tam debile ut levissimo flatu exingatur: tam denique sterile ut non nisi fumum pariat. Pari prorsus ratione omnis mortalium gloria & pompa tenui pendet filo vitæ brevis & caducæ, & temporalium bonorum in quibus mortales suam omnem collocant fiduciam. Idcirco omnis iste splendor tam moveus est ut nec delectet nisi infirmos oculis nec percipiatur nisi à carnalibus mundi amatoribus: exiguo adversæ fortunæ flatu evanescit & resolvitur in fumum vanissimæ honoris. & quod his omnibus magis deplorandum censeo. simul ac apparet, perit, cum occiditur, occidit, velut cereus, ubi accenditur, manuitur, & sua se luce consumit.

## §. III.

*Propositum autem in hoc libro Tertio.*

**H**Æc est igitur differentia quæ intercedit inter duplex isthæc hominum genus quam hoc libro tertio conabor ostendere per ipsorum fiduciæ effectus, qui non minus diversi sunt & sibi invicem oppositi, quam illæ ipsæ res quibus innituntur, nimirum Dei veritas & mundi vanitas. Potissimum tamen agam de effectibus fiduciæ in Deum; alterius siquidem effectus facile innotescunt tum per causas à quibus producuntur, tum per effectus